



GM. 15. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V1-51

SIGNAT. 1615CCCCXIII.

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
ORALI MAN-
DUCATIONE,

ET
PLACENTULIS ORBICULARI-
BUS SEU HOSTIIS COMMUNITER
SIC DICTIS.

Quam

In Illustri Academia VVittebergensi,

P R E S I D E

Maximè Reverendo, Amplissimo atq. Excellentissimo Viro

DN. ABRAHAM CALOVIO,

SS.Th.D. ejusdemq; P.P. longè celeberrimo, Ecclesiæ
Wittebergenf. Pastore fidelissimo, Consistorij Adfessore
gravissimo, Circuliq; Electoralis Saxon. Superintendente
Generali vigilantissimo,

Domino Patrono, Præceptore atq. Fautore suo

plurimum devenerando,

Publicæ Eruditorum disquisitioni

proponet

PAULUS KÖVESDI, Hung.

Aut. & Resp.

In Aroaterio Majori.

Ad diem Januarij horis matutinis.

VVITTEBERGÆ

Exscribat MICHAEL WENDEI

Anno c1o 1o c LVI.

20.

20.

18

h. III. 1975

die 14. Feb

Die Affixi

Generoso, Nobilissimo, Strenuo, pietate, prudentiâ ac
autoritate insigni, nec non de re literariâ præclarè merito
Domino,

Dn. STEPHANO

TARKANI, de eadam &c. &c.

Domino, Patrono, Fautori, & Studiorum suo-
rum Promotori munificen-
tissimo,

*Primitias hæcæ messis Academice in
Symbolum grati animi, debitiq; observantia
tesseram sacras facit,*

Alumnus addictissimus

PAULUS KÖVESDI.



I. N. J.

Præloquium



Notum est, quàm acres controversiæ de S. Cœna inter nos & Calvinianos agitentur, cum primis de Orali manducatione, *num videlicet corpus & Sanguis Christi ore corporis manducetur ac bibatur?* item, *num panes orbiculares, quos hostias appellamus, sint verus & substantialis panis?* Harum affirmativa, ut verissima & Orthodoxiæ consona est: ita plurimis crassioribus, præcipuè in Hungaria nostra degentibus Calvinianis absurdissima videtur: hinc eas tantis horrendis calumniis, tamq; blasphemis cavillationibus, quæ honestè, piè & sine gravi offensione recitari nequeunt, verbo, scriptoq; tenus proscindunt, ut doctrinam nostram apud auditores suos in odium adducant. Fert itaq; animus has duas quæstiones per Theses, exercitij gratiâ, à calumniis Adversariorum, ob gloriam DEI, pro facultate virium vindicare, & in disputatoriam sistere palestram. Utravis autem Thesis *quatuor continebit puncta*, hoc observato ordine: *I. punctum Theses nostræ sensum, statumq; controversiæ exhibebit. II. ejusdem confirmationem. III. Adversariorum Sententiam. IV. Eorum Argumenta cum refutatione nostra.* Is verò, qui Testamenti hujus Autore est, ut veritatem Testamenti ejus obtineamus salvam, clementer adsit, & faveat! Esto igitur



THESIS I.

Verum & Substantiale corpus ac Sanguis Christi in S. Coena (*quæ in terris celebratur*) mediantibus Symbolis Evcharisticis ore corporis, licet non Physico & naturali; sed mystico & supernaturali modo, manducatur ac bibitur.

PUNCTUM I.


In quo sensus Theses & status controversiæ continentur.

§. 1. Ante omnia, ut Thesis nostra rectius explicetur & intelligatur, omnisq; calumniandi ansa adverterijs præcidatur, notandum venit, vocabulum *manducationis* triplici sensu accipi, nempe pro Naturali, Sacramentali & Spirituali manducatione. *Naturalis* manducatio omnibus nota est, quando nimirum cibus ore corporis acceptus dentibus (quandoque) commolitur, in ore masticatur, per gulam in ventrem trajicitur, ubi in epate convertitur in chylum, deinde pars melior & præciosior vertitur in nutrimentum, carnem & sanguinem ad refectionem virium naturalium; pars verò superflua & feculenta per secesum ejicitur. Atq; talem manducationem corporis Christi in S. Coena non intelligimus, nec unquam aliquis ex nostris Theologis docuit. *Qualis enim unio & presentia corporis Christi in Coena Dominica est: talis etiam est manducatio. Sed unio & presentia illa non est Physica & naturalis, constans aliquaratione hujus seculi. E, nec manducatio corporis Christi est Physica & naturalis.*

§. 2. *Sacramentalis* manducatio est, quâ in actione Coenæ Dominicæ verum & reale corpus Christi cum pane benedicto & distributo uno & in divulso actu manducatur corporeo instrumento, ore videlicet, modo divino & imperscrutabi-

tabili secundum institutionem Christi. Quæ manducatio ore quidem fit. (unde & oralis dicitur propter organum corporeum, os videlicet; non propter modum, ut calumniantur Adversarij.) sed sine sensu tamen, sine commolitione, sine concoctione, & sine reliquis naturalem manducationem consequentibus Physicis mutationibus: *Formalis enim ratio manducationis Sacramentalis ex verbis Christi eruta in eo consistit, quod sit assumptio Christi corporis mediante pane Eucharistico in os ad nutritionem Spiritualem.* Cum ergo Christus in institutione Cœnæ Dominicæ manducationis tantum, non autem eorum, quæ naturalis manducationis consequentia sunt, meminerit; de corporis etiam Christi manducatione Sacramentali nihil amplius pronunciamus, aut ulterius curiosè inquiremus: neq; patimur vel multiplicari, vel extendi actus Sacramentales adeò præcisè ab ipso Christo præscriptos. Juvat apponere hîc iudicium Maxime Reverendi & Magnifici Dn. D. *Hülsemanni*, (in Breviar. cap. 13. pag. m. 50.) *Quanquam edendi & bibendi modus non præcisè determinandus sit juxta modum unionis, qui est inter objecta comedenda & bibenda; sed disjudicandus ex naturali significato verborum: Edite, bibite; conveniens tamen non est, ut actus naturaliter consequentes comestionem & bibitionem, quales sunt: masticatio panis, & deglutitio vini, trajectio in stomachum &c. includantur notioni vocum: edite, & bibite; sed satis sit naturali significati vocum si panis & corpus Christi sumuntur in os, ad modum cibi, vinum & Sanguis Christi ad modum potus, ut nec Metaphora statuatur in his verbis, nec lamina Capernaïtica in comestione.* Hæc D. *Hülsemannus*: unde patet manducationem hanc Sacramentalem cum prima, videlicet Naturali nihil commune habere, excepto unico, quod utraq; in instrumento corporeo, ore nempe peragitur; modo tamen dissimili: quia illa *immediatè* ore peragitur, hæc verò non nisi *mediante pane*, & quidem in actione hujus Sacramenti, unde & Sacramentalis appellatur.

§. 3. *Spiritualis* verò manducatio est Christi redemptoris nostri in promissione Evangelica verâ fide apprehensio, per quam in nobis ipse manet, & nos in ipso, de qua

manducatione Christus plusquam auream illam concionem habuit *Job. 6.* ubi perspicue ostenditur, quid sit manducare carnem Christi, nempe credere in ipsum. Hæc manducatio cum Sacramentali confundenda non est; sed ab ea tanquam formaliter distincta, discernenda. *Spiritualis* enim manducatio est impropria, perpetua, successiva, quotidiana & absolute ad salutem necessaria: *Sacramentalis* autem manducatio est propria (*proprietate Grammaticâ, non Physicâ*) nova, rarior, momentanea & non ad salutem absolute necessaria. *Illa* est *à omni* , vel certè ad certum signum non restricta, & solis fidelibus competens: *hæc* ad certum signum restricta & indignis etiam atque infidelibus competens. Ceterum *illa* non distinguit corpus & Sanguinem Christi, sed uno actu fertur in totum Christum cum suis oblatis beneficiis: *hæc* distinctis actibus peragitur; alio enim actu manducatur corpus, alio bibitur Sanguis Christi, ut ostendunt verba institutionis. Amplius *illa* semper est salutaris & fit ore fidei: *hæc* aliquando ex accidenti pernitiosa est, & fit ore corporis, nec extra S. Cœnam locum habet. Unde sequitur *Sacramentalem* manducationem non esse *Spiritualem*; nec *Spiritualem* (*Absolute spectatam*) esse *Sacramentalem*: oportet enim membra distinctionis cujusvis esse opposita, ita ut unum de alio prædicari nequeat, ut docent Logici.

§. 4. *Notandum* hic est, quod dum *Sacramentalem* manducationem cum *Spirituali* coincidere negamus, non ea nobis affingenda mens sit, ac si prorsus ab illa removeamus *Spiritualem*, sed tantum nobis res est cum mere & absolute *Spirituali* manducatione, atque illa, quæ Calvinianorum est: nam merè *Spiritualis* manducatio fit, ut diximus, per fidem veram apprehendendo Christum cum suis beneficiis. Si autem *Sacramentalis* manducationis spectetur *finis & fructus*, tum hæc ratione in S. Cœna *Spiritualem* manducationem cum *Sacramentali*, tanquam *finem* cum *medio* à fidelibus communicantibus conjungendam esse docemus. Hinc tamen non sequitur, *Sacramentalem* manducationem esse *Spiritualem*, quia *finis & medium* distincta sunt: deinde *Spiritualis* manducatio
jam

jam ante *Sacramentalem* requiritur, quæ si à fidelibus ad *S.* Cœnam adfertur. in ea *Sacramentali* manducatione confirmatur & obsignatur; in hunc enim finem hæc à Christo ordinata est. Cæterum si vocabulum *Spiritualis* sumatur *Respectivè*, tum ultrò damus, atq; non inviti *Sacramentalem* manducationem suo modo vocari posse *Spiritualem*, & quidem (1) *respectu oppositionis*, quia esui communi & vulgari propter nutritionem corporis ad hanc vitam suscepto opponitur. (2) *Respectu objecti*, quod est corpus Christi, non jam amplius *ψυχικόν*, sed *πνευματικόν* (1. Cor. XV. v. 44.) imò ipsius *τὸ λόγος*. (3) *respectu effectus*, quia quod editur eo modo, quo debet. alit ad vitam *Spiritualem*. & beneficia confert *Spiritualia*. (4) *respectu modi & conditionis*, quia manducatio *Sacramentalis* est mystica, supernaturalis ac eatenus *Spiritualis*, ita tamen ut si *organon* respicias perceptionis, verè sit *oralis*.

§. 5. Distinguendum est inter manducationem ac bibitionem *Oralem*, quæ fit *πρώτως καὶ αἰέτως* primariò & immediate, quomodo panem & vinum *Evcharisticum* manducamus ac bibimus: & quæ fit *δευτέρας καὶ ἐμμέσως* secundariò & mediatè, quomodo corpus & Sanguinem Christi mediantibus Symbolis *Evcharisticis* manducamus & bibimus. Manducatio enim *oralis* de pane *Evcharistico* & corpore Christi dicitur *analogicè*, per *analogiam attributionis*. Manducatio namq; *Oralis panis primariò* est manducatio, quia *Physica* est: manducatio verò *oralis corporis Christi secundariò* manducatio est, & propter illam *Physicam*, quia illud *Sacramentaliter* est unitum cum pane. Hæc autem analogia non infert duplicem (quod volunt *Adversarij*) manducationem, unam *propriam*, alteram *impropriam*; unam *Oralem*, alteram *mentalem*, neq; negat manducationem corporis Christi: sed infert duntaxat *aliud modum* manducationis *oralis panis*, & *aliud* manducationis *oralis corporis Christi*. *Iste* est *Physicus & naturalis*; *hic mysticus & supernaturalis*: *ista* manducatio *Oralis* est *primum* talis; hæc mediante *unione Sacramentali* propter *illam*. Quare *modus* quidem *manducationis* est *diversus*; ipsa tamen *manducatio* non est *divulsa*, vel *distracta*. Manducatio enim

enim pane simul manducatur corpus Christi. Utrumque panis & corpus Christi propriè manducatur. Ob *unitorum* in usu Sacramentali *conjunctionem* actio manducandi est eadem, & utriusque uniti est una communicatio. Ob rerum verò Sacramentaliter *unitarum essentialem distinctionem* (quam in unione non amittunt) non possunt eodem percipi modo; sed panis manducatur *immediatè*: corpus verò Christi *mediate* pane, cui Sacramentaliter est unitum: iste percipitur *naturaliter* per sese; hoc verò *mysticè & nat'* à *no* propter panem. Constat illud ex omni unione, quod propter unionem rebus distinctis *unus* tribuatur *actus*; sed modo *diverso*, e. g. *Maria DEum & hominem* gestabat in utero: *conjectio est* ratione *uteri*; *distinctio* ratione *modi*. Non enim eo modo divinam, quo humanam naturam gestavit. In festo Pentecostes dabatur *Apostolis Spiritus S. cum flammis igneis in linguis conspectis*, & percipiebatur eadem perceptione, sed *diverso* perceptionis modo, A& II. §. 3. In Baptismo adest *Spiritus S. una cum aqua*; sed aliter aspergitur corpus aqua, aliter *Spiritu S.* *Istic* est aspergio sensibilis; *hic* insensibilis, imò & incomprehensibilis, sed ita ut unus & indivulsus sit utriusque *actus*. Sicut ergo in voce *regenerationis* Joh. III. §. 5. non admittitur *duplex significatio*, cum eadem sit aquæ & Spiritus *regeneratio*, quamvis dicendum sit *diversum* esse *regenerationis modum*: eadem ratione gratis nobis imputatur *duplex* vocis edere *acceptio*, quod statuamus manducationis *diversum* modum, alterum *sensibilem* & *naturalem*; alterum *supernaturalem* & *incomprehensibilem*; uti accuratè hæc omnia ab Excellentissimo *Dn. Praside* (in *Stereom. de S. Cœna art. 2. punct. 1. §. 5. pag 87 & 88.*) excussa sunt. Hisce præmissis diligenter observatis, plurima *Adversariorum* *sophismata* sponte concident. Nunc pergendum est ad *confirmationem Sententiæ Orthodoxæ*.

PUNCTUM II. continens,
Argumenta Orthodoxorum.

§. I. Oralis corporis & Sanguinis Christi manducatio ac bibitio probatur Argumentis sequentibus: I. Arg. *Quæ-
 omnia*

cunq; verba Substantialia Cœna Dominice notant comestionem et bibitionem Oralem. & complectuntur non tantum panem & vinum, sed etiam corpus & Sanguinem Christi, illa etiam de orali manducatione ac bibitione intelligenda sunt. Atqui verba Substantialia Cœna Dominice: Edite, bibite, notant comestionem & bibitionem oralem. & complectuntur non tantum panem ac vinum, sed etiam corpus & Sanguinem Christi. E. etiam verba illa: Edite, bibite, de orali manducatione ac bibitione intelligenda sunt. Major manifesta est. Minor probatur. & quidem quoad prius membrum. (posterius enim concedunt Adversarij) hoc modo: Verba, edite, bibite, aut unam duntaxat. aut geminam habent significationem. Si unam, utiq; cum semel dicatur proprie edite, bibite, manebit etiam hæc significatio ad immediatè adjectum corpus & Sanguinem Christi. Si geminam non erit una Enunciatio; sed gemina, & sic exponenda: Edite ore corporis panem, & credite in corpus meum: & bibite vinum ore corporis. ac credite in Sanguinem meum. Atqui posterius quàm absolum sit, & ipsi Adversarij non ignorant, neq; concedunt duplicem Propositionem. E. manebit una tantum significatio, eaq; propria. Et absurdum foret. uni eidemq; vocabulo. in una, eademq; Propositione semel tantum usurpato duplicem, proprium & metaphoricum affingere sensum; ceu egregiè diluit p. m. D. Meisacrus (part. 1. Sobr. Phil. sect. 1. c. 5. qu. 6. p. m. 127 seq.)

§. 2. Adversarij regerunt, posse unam vocem in uno & eodem loco sumi proprie & metaphoricè; v. g. ex Joelis cap. 2. v. 13. Scindite corda vestra non vestes: hic τὸ scindere refertur ad res duas diversas, vestes & corda, quod unâ, eaq; propria significatione non potest intelligi. R. Locutionem ibi esse Ellipticam, & τὸ scindere iterandum esse hoc modo: Scindite oorda vestra, non scindite vestes; adeoq; dicimus potentiâ & virtute duas esse Propositiones, unam scilicet affirmantem, alteram negantem: atq; sic exemplum hoc huc non quadrat; hinc enim τὸ γὰρ unam copulat sententiam. Notanda est, inquit Dn. D. Winckelman. (ad Luc. XXII pag 103.) particula Causalis Enim, quâ notanter Dominus Sanguinem suum ad verbum bibite retrahit, & ei necesse est, ut nemo non discipulorum vel auditorum Christi ex eo simplici verbo-

rum sono iudicium facere possit, bibendo sumi sanguinem Christi. Quid verò si ex Calvinianorū hypothese ratiocinemur ita: Si verbis edite (bibite) innuitur manducatio (& bibitio) que si de peragitur, particula hoc non solum notabit panem. Atqui prius Adversarij asserunt. E. ut & posterius statuunt necesse est, quod tamen mordicus negant. Connexio est perspicua: alias enim Christus in panem credere iussisset, quod sanè incongruum est; atq; hinc talis emergeret Propositionis analysis: *credite in panem, qui significat corpus meum*, quæ quàm absfona sit, vel Sutor sapit, ne dum Calviniani.

§. 3. Arg. II. Quo organo unum unitorum manducatur ac bibitur, eodem etiam alterum. Atq; in S. Cœna unum unitorum, puta panis & vinum, manducatur ac bibitur organo corporeo. E. etiam alterum, nimirum corpus ac Sanguis Christi manducatur ac bibitur organo corporeo. Major sumitur ex natura Relatorum, scilicet (ne quid finistrè capias) respectu unionis Sacramentalis. Quæ enim unita sunt, unitim accipiuntur. At manducationis & bibitionis hujus Sacramentalis objectum non est divisum, sed unitum, unione Sacramentali (non Essentiali, vel Significativa) manducamus enim hîc panem non *Absolute* quâ panis est, nec bibimus vinum *Absolute*, quâ vinum est; sed quatenus panis & vinum sumuntur in officio suo Sacramentali, hoc est, quatenus ille est *novoria* corporis; hoc sanguinis Christi. Item, manducamus Christi corpus, bibimusq; ejus sanguinem non *Absolute* quatenus sunt corpus & Sanguis Christi (sic enim in V. T. etiam a fidelibus percepta fuerunt, & etiamnum à piis extra S. Cœnam fide percipiuntur) sed quatenus illud pani benedicto & distributo; hic vino benedicto & distributo est in S. Cœna verè & realiter unitus. Quia ergo panis & vinum, corpus & Sanguis Christi in hoc Sacramento non *Absolute* spectantur, hoc est, in sese, & natura sui; sed *Relative*, hoc est, in respectu unionis Sacramentalis ipsius corporis ad panem, & ipsius Sanguinis ad vinum, hinc quicquid Symbolo convenit (non *αὐτῶς* & extra unionem, sed) propter & in unione, ac actione Sacramentali, id etiam tribuendum est rei cœlesti, licet uni *πρωτῶς*, alteri *δευτέρως* Hæc pro
con-

confirmatione Theseos nostræ sufficient: non enim tam numero, quam pondere Argumentorum certare volumus.

PUNCTUM III, continens,

Adversariorum Sententiam.

Expendenda nunc nobis erit sententia Calvinianorum, quorum alij sunt crassiores, alij subtiliores. *Illi* disertè mentem suam verbis perspicuis exponunt, quæ ingenuitas laudanda est: *hi* verò didicerunt imitari pleriq; linguam B. Lutheri in loquendo, & sub phrasibus Lutheranis occultare sensum & animum Calvinianum. Quanquam autem verbis discrepent; unanimiter tamen in eo sensu conveniunt, quod corpus & Sanguis Christi in S. Cœna non nisi fide adeoque Spiritualiter manducetur ac bibatur.

PUNCTUM IV.

In quo Argumenta Adversariorum continentur cum eorum refutatione.

§. I. Rationes, quibus Adversarij nostram sententiam destruere, suamq; defendere allaborant. licet tantæ non sint, ut conscientiam convincere, cor movere, & persuadere possint, cum in his probandis more solito à Verbo & Voluntate DEI ad somnia rationis cæcæ pleno præcipitentur lapsu: percurremus tamen hîc breviter communissimas. Arg. I. *Quæcumq; manducatio est oralis, & oraliter, seu organo corpore peragitur, illa etiam orali & Physico peragitur modo.* Atqui Lutherianorum manducatio in S. Cœna est oralis, & oraliter seu organo corpore peragitur. E. Lutherianorum manducatio in S. Cœna Orali seu Physico peragitur modo. R. (1) Consequentiam Majoris esse falsissimam: non enim concedimus omnem manducationem in propria significatione acceptam esse Physicam. Christum post resurrectionem Oraliter & ore corporis manducasse testatur Apostolus Petrus *Act. X. v. 41.* Angeli quoq; in assumtis

corporibus oraliter & ore corporis leguntur in V. T. (*Gen. XIII. vers. 8.*) comedisse & bibisse, quæ certè vera fuit manducatio, non tropica; interim tamen *Physicam* fuisse nemo dixerit: neutra enim inservit reparationi virium. Nam Christi corpus post resurrectionem non fuit (*quoniam glorificatum*) ψυχικόν, sed πνευματικόν: Angelica quoq; non fuit in corpore organico animato facta. Manducatio a. naturalis in corpore glorificato & assumpto otiosa est: nec *impropriam* ac *Meraphoricam* fuisse statuet quispiam, quia Christi comestionem propriam fuisse inde patet, quod exinde veritatem resurrectionis suæ probare voluerit, Luc. XXIV. v. 41. 42. 43. Angelicam comestionem fuisse propriam post *Augustinum* (*lib. 13. de Civit. Dei c. 22.*) *Scotum* (*in Senten. dist. 8.*) & *Calvinum* probat *Andr. Rivetus* (*Exerc. 91. in Genes. p. 446.*) uti docet hoc *Dn. D. Danhaverus* (*in ὁδοσφ. Christ. phen. 10. pag. 795.*) (2) Status quæstionis mutatur: quæstio est de *proprietate vocis Grammatica*; Argumentum verò concludit de *proprietate rei Physica*. Falsò igitur à vocis proprietate Grammaticâ argumentantur ad proprietatem rei Physicam. Falsò itidem à manducatione ipsa ad manducationis modum, siquidem sic res ipsa & accidens rei confunduntur. Eadem facilitate *generationem* quoq; Filij Dei tolleres: nam & illa verè & propriè dicitur de Filio Dei ab æterno à Patre genito (*sic enim non esset vera generatio, λόγος non esset verè genitus, & per consequens non esset verus Filius*) inde tamen non inferre debet generationem Filij Dei propriam esse proprietate Physicâ & naturali (*qualis est generatio hominum*) sed proprietate Grammaticâ. Sicuti ergo verè, proprièq; dicitur generatio de Christo, non tamen Physico & naturali modo: ita etiam manducamus corpus Christi verè & propriè ore corporis, non tamen *naturaliter & Physicè*. Et quemadmodum ignoramus, quomodo Christus post resurrectionem comederit, quomodo item Angeli in assumpta corporis formâ: ita quoq; fatere nos oportet modum hujus manducat. ignorare, non tamen ideò rem ipsam negare fas est.

§. 2. Arg. II. *Si corpus Christi in S. Cæna ore corporis editur, sequi-*

sequitur, quod dentibus teratur, seu masticeatur, in stomachum trahitur, inq; alvovodigeratur. Atqui posterius est impium & blasphemum. E. & prius. R. (1) Impia & blasphemæ sunt illæ ratiunculæ, in quibus fides derogatur, & modus præscribitur ipsi auctori θεωσωπρω, qui superabundanter potest plura, quàm nos capimus, vel intelligimus: & in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, ut facillè possit, quod promissit, efficere, ejusq; modum invenire. Auferantur igitur tandem talia cæcæ rationis figmenta ex mysteriis fidei: quæ enim mystica & Supernaturalia sunt, non possunt judicari ex regulis naturæ. (2) R. ad rem ipsam, in genere quædam prænotando: in quolibet termino, antequam ad mysteria applicetur, duo observanda sunt, quod & ipsis Adversariis haud est ignotum: primo quidem, ut quænam teimini *formalis* sit *ratio*, accurate dispiciatur; nequæ enim requiritur, ut qui terminus in divinis & mysticis rebus adhibetur, iis semper conveniat secundum omnia accidentia, & omnes speciales respectus. Inde est quod dicitur, *de termino non esse judicium ferendum, prout in hac vel illa specie reperitur, sed juxta id, quod in formali ratione, seu modo abstractionis infert*. Multa enim termino conveniunt sæpe ratione certi Subjecti, quæ in abstractione & proprio conceptu eidem tribui non debent. *Secundo* terminus prius, quàm rebus divinis ac mysticis tribuatur, ab omni imperfectione liberetur, & adhaerentes infirmitates sequestrentur. Perspicuum hoc reddit exemplum de *generatione*: illa enim *formaliter* denotat communicationem ejusdem essentiæ, præter hanc formalem rationem multa quidem ad generationem Physicam concurrunt, sed illa sunt tantum Accidentia quædam, non tam generationem ipsam, quàm generationem Physicam concernentia: ideoque si generationis terminus mysterio divinæ & æternæ generationis tribuitur, non considerandus venit secundum conditiones & respectus Physicos; sed solum juxta *rationem formalem*, atque ab ab omni prius imperfectione liberandus, quod jam olim sufficienter ostensum fuit à D. Grawero (*cent. Illustr. quest. dist. 3. qu. 6.*) Quæ duo & hic de termino *edere*, seu *manducare* minime

mè negligenda, sed maximo sunt observanda opere. *Definitio* autem *manducationis*, in qua *formalis* habetur *ratio*, abstractis omnibus accidentibus atque mutationibus *Physicis*, talis potest esse: *Manducatio est assumptio rei esculentæ per os in corpus.* Quæ definitio omni manducationi propriè sic dictæ applicari potest. Hinc si paulò penitiùs hujus vocis *formalem rationem* inspiciamus, apparebit *masificationem*, *deglutitionem in stomachum* & *digestionem* tantùm accidere manducationi, atque aded. ceu imperfectiones, esse separandas. De singulis itaque ordine & in Specie.

S. 3. I. *Masificationem* quod attinet, illa non est de *formali* ratione manducationis ut sic; quandoquidem non ad omnem cibi manducationem (*quod aliàs fieret*) prærequiritur *masificatio*, quippe quæ tantùm ob eam rationem fit, quò meliùs deglutiiri possit *cibus*: quod patet (1) exemplo *anus edentule* carnem assumituræ. quæ cum eam *masificare* haud valeat, *cultello* in minimas dissecat partes, sectasquè postea *assumit* absquè *masificatione*: unde *masificatio* aut non erit actus *comestionis* proprius, aut illa per *cultellum* sectio erit quoquè actus *comestionis*; sed posterius non est. E. nec prius. (2) *Infantem*, qui adhuc *edentulus* est. verè & propriè *manducare pulmentum*. quis unquam negaverit? (3) *Pisces* & *aves* pleræquè non *masificant*. & tamen verè *edunt*. (4) *Pilule*, similesque *boli medici* ore corporis in corpus *assumuntur*, & sine *masificatione* *deglutiuntur*. II. Nequè *deglutitio in stomachum* est de *formali* ratione manducationis, cum non quilibet *cibus* in corpus *assumptus* demittatur per *oesophagum* in *ventriculum*: name. g. *saccharum rosatum*, & alia *medicamenta cerebrum* confortantia beneficio oris in corpus *assumuntur*; nec tamen *singulæ* eorum partes. sed tantùm *materia inutilis ac feculenta* in *ventriculum* descendunt, vis autem *refectiva* parsquè; *preciosior* in *cerebrum* ascendit; & *spiritus* recreat atque *corroborat* III. Nec denique *digestionem* seu *concoctionem* omnis *manducatio* necessariò includit, multò minus *rationi ipsius formali* adscribitur: fieri enim potest, ut *Ens vivum*. y. g. *Jonas* *deglutitus à Ceto*, in *ventriculo* sine *consumptione*

tione maneat. Item, si quis *vermem, anguiculum*, vel aliud quid vivum deglutivit, absque sui morte & corruptione in ventriculo consistere potest, quod ipsa experientia testatur. His itaque positis argumentamur: *Quicquid in tota latitudine termini manducare non involvitur, id non spectat ad formalem ejus rationem.* Atqui *maficare, in stomachum deglutire, & digerere in tota latitudine termini manducare non involvitur. E. masticare, in stomachum deglutire ac digerere non spectant ad formalem rationem termini illius.* Major certissima est. Minor haecenus probata est. Quid itaque respondendum sit ad propositum Argumentum, sufficienter ex praedictis constat, videlicet Consequentia Majoris admodum imbecillis & lubrica est, cum non sequatur, *quicquid manducatur ore corporis, illud masticatur, in stomachum traicitur, & digeritur*: haec enim Accidentia tantum sunt, & conditiones Physicae, & per consequens non sunt de formali ratione manducationis, quod abunde ex allatis eognosci potest.

S. 4. Arg. III. *Cibus Spiritualis non potest percipi ore corporis* (Joh. VI. 55. 58.) *Christi corpus est cibus Spiritualis. E. Christi corpus non potest percipi ore corporis.* Majorem probant, quia Spiritus & corpus opponuntur. Resp. (1) Negando Majorem. *Verbum DEI est Spirituale, & tamen auribus percipitur. Spiritus S.annon essentia Spiritualis?* & tamen habitat in corporibus nostris I. Cor. VI, 19. *Regeneratio est res Spiritualis, & tamen non sola anima, sed totus homo regeneratur.* (2) Si Major est Apodictica, erit etiam reciproca. *Cibus Spiritualis non potest percipi ore corporis: & res corporea non potest percipi Spiritualiter*: quia ut se habet Objectum Spirituale ad os corporis; ita se habet Objectum quoque corporale ad os spirituale. *Jam subsumimus: Christi corpus est verum corpus. E non potest percipi Spiritu, vel ore fidei.* Ubi ergo manet tantopere ab illis depradicata manducatio Spiritualis? (3) Res ita se habet: *Cibus Spiritualis non potest percipi ore corporis, scilicet immediate & absolute, modo naturali & terreno; sed mediate, & modo Spirituali ac divino, ideo Spiritualis manducatio fit fide; Sacramentalis autem*
me-

mediante pane. (4) Ad Minorem Corpus Christi dicitur Spiritualiꝝ cibus non quod mutatum sit in Spiritualem *gotav*; sed *primò ratione oppositionis* ad cibum naturalem, quo corpus alitur ad hanc vitam. *Secundò ratione operationis*, quia alit ad vitam Spiritualem. *Tertiò ratione modi perceptionis*, qui non est naturalis, sed supernaturalis & Spirituális. Hinc quod modis dicitur corpus Christi Spirituale: tot modis etiam manducatio corporis Christi dicitur Spirituális.

S. 5. Arg. IV. *Qualis est mansio Christi in nobis, talis est ipsius manducatio.* Atqui mansio Christi in nobis est Spirituális. E. & ipsius manducatio est Spirituális, *v. (1)* Majoris consequentiam nimis vacillare: à fructu enim & sine Sacramenti ad Substantiam illius argumentari haud licitum est, cum aliud sit *Substantia*, quo spectat manducatio corporis Christi & aliud *fructus & finis*, quo pertinet mansio Christi in nobis. Hæc ne confundantur, quæ quidem commixtio Adversariis maximè vulgaris est, prospiciendum probè est. (2) Sicut planè necesse non est, ut media sint ejusdem naturæ & conditionis cum fine, ad quem ordinantur (v. g. ad media sanitatis recuperandæ adhibentur medicamenta, quæ tamen nemo ejusdem conditionis cum sanitate esse dixerit): ita etiam non requiritur eandem omninò manducationis Sacramentalis, tanquam medij, & unionis Spirituális, ceu finis, esse rationem. Nulla igitur consequentia: *qualis est finis, talia sunt media.* Atqui finis est Spirituális, nempe obsecratio fidei in corde. E. media quoq; v. g. predicatio verbi, dispensatio & perceptio Sacramentorum sunt Spirituália, & non externa, quod incongruum est. DEUS enim utitur mediis externis ad excitandam & confirmandam fidem, quæ intus est.

S. 6. Arg. V. *Omnis promissio accipitur fide.* Corpus & Sanguis Christi in S. Cæna offeruntur verbo promissionis. E. corpus & Sanguis Christi tantum fide accipiuntur. *v. (1)* Quatuor sunt termini in argumento, quod proinde *ἀσυνδυαστον*. (2) Major non est simpliciter vera: distinguendum namque est inter *promissionem*; & *rem promissam*. Illa quidem fide accipitur; hic verò sæpè etiam corpore, seu instrumento corporeo, ut sanatio

natio, panis quotidianus &c. Conferamus huc promissionem Spiritus Sancti. A. & II. v. 3. quæ fide accipitur, num ergo falsum, quod in Specie linguarum ignearum sederit super Apostolos? (3) R. ad Minorem: Verbo promissionis aut intelligitur ipsa *ordinatio* Christi & S. Cœnæ *institutio*, atq; sic significatio est Carachristica, aliter etiam vox promissionis accipitur in Majore: aliter in Minore: aut verbum promissionis accipitur *strictè*; & sic distinguendum est inter *Substantiam* Cœnæ: & ejus *fructum* seu *finem*. Promissio respicit finem seu fructum, propter quem S. Cœna instituta est. Corpus & Sanguis Christi, quatenus *illud* mediante pane benedicto manducandum; *hic* verò mediante vino benedicto bibendus in Cœna Dominica exhibentur, non pertinent ad *fructum* seu *finem* S. Cœnæ; sed ad ipsam *Substantiam*. Hactenus ergo (*nimirum, si verbum promissionis accipiat strictè*) neganda est *Assumptio*, quia corpus & Sanguis Christi offeruntur verbo *institutionis, ordinationis* seu *dispositionis* Christi.

§. 7. Arg. VI. *Quæcumq; manducatio est Capernaïtica, illa est rejicienda.* Atqui *manducatio Oralis* corporis Christi est *Capernaïtica*. E. R. Minorem simpliciter negando: Longè sanè à se invicem differunt *manducatio Sacramentalis* seu *Oralis* & *Capernaïtica*. Et quidem (1) *Objecto*: *Capernaïtica* manducatio respicit carnem nudi hominis, quod & ipsi agnoscunt *Adversarij*, inter quos *Rodolph. Gwalther* (*homil. 54 in Joh. fol. 113. an. edit. 1596.*); sed *Sacramentalis* pro *Objecto* habet carnem vivificam Filij Dei. (2) *Capernaïte* oris officium judicabant, corporis Christi dentibus commotere, concidere, deglutire, qualis carnis bubulæ vel vitulinæ esus peragitur fatente ipso *Wendelino* (*Exercit. III. p. 181.*) *carnem*, dicente, *sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur.* Accedit huc *Autoritas Augustini*, dum dicit (*in Psal. XCIIII.*): *Quæ igitur Christo de Spirituali esu sue carnis dicebat, illi (scil. Capernaïte) ad carnalem esum detorquebant, & crasso modo de laceratione, quæ dentibus fit, intelligebant, i. e. eum præcisurum quasdam particulas de corpore suo & daturum, & dixerunt: durus est hic sermo: Sa-*

C

gra.

ramentalis autem manducationis *modus* est Supernaturalis, invisibilis. Spiritualis. mysticus & incomprehensibilis. Cæterum, *Capernaitæ* talem somniabant manducationem, in qua unus quidem hanc, alius verò aliam corporis partem acciperet, donec totum corpus absumentum esset: talem blasphemiam Ecclesiæ nostræ sonorâ voce damnant, & docent singulos convivij hujus Cœlestis hospites corpus Christi totum & indivisum accipere, juxta dictum *Antiquitatis*: *Sumit unus, Sumunt mille. quantum iste, tantum ille; nec sumtus absumentur.* Quantâ ergò discrepantiâ ab hac Capernaiticâ carnis visceratione Sacramentalis in Cœna Dominica manducatio distet, quotus quisquè non sapit? His præsuppositis argumentamur: *Quæcumq;* manducationes differunt inter sese *objecto & modo, illæ maxime differunt.* Atqui manducatio *Oralis & Capernaitica differunt inter sese objecto & modo. E. maxime differunt.* Major manifesta est Minoris probatio ex prædictis constat, quæ satis clara atquè perspicua. Facebant igitur Adversariorum calumniæ & cavillationes de Capernaitica corporis Christi laniena, ipsiusque Sanguinis ingurgitatione, quam nobis per impudentem calumniam contra propriam conscientiam (*quæ aliquando damnando turpissime eos convincet*) objiciunt. Et tantum de Thesi prima: pedem conferamus ad secundam.

THESIS II.

Azyma nostra, & placentulæ orbiculares, (*hostiæ prisco nomine dictæ*) sunt verus panis: adeoq; rectè in usu Cœnæ Dominicæ adhibentur.

PUNCTUM I. continens,

Explicationem Theseos nostræ.

§. I.

§. 1. Cum nomine *panis* communissimè varia admodum ciborum genera notentur, quorum quædam improprie panes appellantur, cum sub nominis communione diversam plane habeant naturam: quædam proprie & magis presso significato, hinc distinguere oportet nos ante omnia panem proprium ab improprie dicto. *Panis proprie dictus* est, qui materiam, formam & effecta seu finem veri panis habet. *Materia* est farina frumentacea & aqua Ubi tamen nihil refert, farina sive sit nobilior sive ignobilior, sive triticea, sive siliginea, sive hordeacea, modo sit ex frumento commolito & in minima redacto. Nihil quoq; refert aqua sive sit præstans vel vilis, fluvialis vel fontana, vel vulgaris alia, modo vera, genuina & naturalis sit. Retentis namq; Substantialibus & essentialibus panis partib⁹, retinebitur quoq; ejus essentia. Accidentia illa sunt, quæ nil nisi nobiliore vel ignobiliorem efficiunt panem. *Forma* panis est consistentia masticabilis à pistore per virtutem ignis introducta, quâ massa unitivè cohæret, cum ante cocturam vel pollinis instar dispersa esset, vel ut conspersa farina diffusura existeret. *Finis* panis *ultimus* est gloria DEI: *Subordinatus* & *intermedius* est aptitudo corpus nutriendi. Hinc panis proprie dicti, in genere ac præcisè considerati *Definitio* talis (ex Pliny l. 15. c. 11. Scalig. de plantis l. 1.) esse potest: *Panis est cibus artificiosus ex farina frumentacea & aqua simul bene preparata & subacta ad masticabilem consistentiam virtute ignis pistus, ut nutritioni corporis animalis aptus sit.* Hæc *Definitio* est universalis, omnibus suis speciebus seu inferioribus applicabilis, licet uni per *primum*, alteri per *posterius*. *Analogicè* namquè (intelligo analogiam attributionis) panis, ut sic consideratus, hic definitur, cujus definitionem sua inferiora inæqualiter participant; unum per *magis*, alterum per *minus*, qualis participandi modus in *Analogicis* *Definitionibus* militat, quò etiam panis *Definitionem*, ut referamus, inferiora ejus desiderant, quod infra passim ostendemus.

§. 2. Quid jam sit *panis improprie dictus*, facillè patescit, qui scilicet *materiam* & *formam* panis proprie dicti non

habet, sed aliud quid, aut nomen saltem panis ex analogia & homonymia obtinet. Talis panis est, qui ex *fabis, pisis, oryza, milio* commolitis conficitur; vel ex *radicibus arborum*, ut fit in America; vel ex *piscibus tostis*, ut in Norvegia & aliis locis; vel ex *carne, caseis, ovis* &c. mistis coquitur. Materia enim hęc planè corrumpitur, dum ex farinà, aut radicali, aut simili alia specie frumentaceæ contradistinctâ coquatur.

§. 3. Panis propriè dictus dividitur in *fermentatum*, & *azymum seu infermentatum*. *Fermentatus* est cibus artificialis ex farina frumentacèa & aquâ fermenti admistione simul bene preparatâ & subactâ ad masticabilem consistentiam virtute ignis pistus, ut nutritioni corporis animalis magis sit aptus. Panis *azymus* seu *infermentatus* est cibus artificialis ex farina frumentacea & aqua sine fermenti admistione preparatâ & subactâ in consistentia masticabili ad nutriendum corpus pistus. Qualis Panis *azymus* in V. T. erat (1) Panis *Pascbatis*, Exod. XII. v. 15. Deut. XVI. v. 3. 4. (2) Panis *propositionis*, Exod. XXV. v. 30. Lev. XXIV. v. 5. 6. 7. (3) Panis *Sacrificiorum*, Lev. II. v. 4. 5. N. T. panis *azymus* in S. Cœnæ administratione à Christo adhibitus & quibusdam Ecclesiis usitatus fuit & adhuc est, qualis etiam sunt hostiæ, vel placentulæ orbiculares penes nostras Ecclesias receptæ, de quibus quæritur inter nos & Reformatos quosdam, *an verus & legitimus sint panis, adeoq; rectè in S. Cœnæ administratione vice panis adhibeantur?* Quod probaturi sumus sequenti puncto.

PUNCTUM II.

In quo Thesis nostra confirmatur.

§. 1. Hostias, vulgò sic dictas, verum esse panem probamus *Lex Definitione Generali & Abstracta panis propriè dicti. Cui convenit Definitio, vel Materia, Forma & effecta seu finis veri panis, eidem etiam competit Definitum. Atqui hostiis nostris convenit Definitio, vel materia, forma & effecta seu finis veri panis. E. & Definitum. Major manifesta est. Minor probatur; Materia*

Teria veri panis est farina frumentacea & aqua : sunt in ho-
 stiis. *Forma* panis est consistentia masticabilis per virtutem
 ignis à pistore introducta : est in hostiis. *Finis* panis est
 aptitudo nutriendi corpus animalis, qui itidem convenit
 hostiis nostris, si in majore quantitate sumantur. Adhæc si
 vel actu non nutrent ; non tamen sequeretur, eas panem ve-
 rum non esse, quia in quolibet individuo non sunt necessarij
 actus secundi, quum pendeant ex Causis externis, quæ facile
 possunt impediri. Sic res sua natura visibilis, semper talis
 est, etiamsi nunquam videatur : *quandoquidem potentia non
 tollitur per Objectorum ablationem, neq; è contrario deletur obje-
 ctum per amotionem potestatis, Scalig. exerc. 325. sect. 4.* Sufficit
 igitur hoc, quod possint hostiæ nostræ nutrire, sivebitâ quan-
 titate sumantur, sicut Adversariis sufficit sui libi partem ha-
 bere potentiam ad nutriendum, licet actu ipso non nutriat,
 quoniam in minori etiam quantitate ab ipsis sumitur, quàm
 ut actu nutrire possint.

§. 2. Excipit *I Montanus* cont. D. Behm. pag. 85. & seqq. ne-
 gans definitionem panis perfectam hauriendam ex Plinio. *Perfi-
 ciendam* ex Psal. CIV. v. 15. *Ut cor hominis confortet.* Hoc po-
 tissimam formæ partem : inde eum definiendum esse asserens. Sed
 his re. (1) Ex sine speciali non debet Generalis rei natura defi-
 niri ; sed ex sine Generali & Universalis. *Confortare cor hominis,*
 finis quidem est panis, sed *Spiritualis* non *Generalis* & *Com-
 munitis.* (2) Ex effectis & attributis rerum partes formæ facere,
 est magnam partem Logicæ ignorare, conceptus essentialis
 cum extra essentialibus, Synonymicos cum Paronymicis,
 quidditativos cum consecutivis. Substantias cum Acciden-
 tibus. Prædicamenta inter se invicem, fines cum formis rerum
 absolutarum confundere. *Vinum cor hominis letificare* loco
 eodem dicitur. Si hoc partem formæ dixeris, indequæ præci-
 sè vinum definiendum contenderis : Logicis ludibrium de-
 deris. *Effectus* hic & *attributum* aliquid vini est, non forma,
 non pars formæ, non definitivus & essentialis conceptus. *Fi-
 nis* aliquis & Specialis est, non forma aut essentia vini. (3)

Fines rerum definitionibus quandoque inferi, possunt sed eos partes formarum præcipuas dicere, ad minimum minus accuratè loqui, aut sophisticari est. Ita *finis* panis est, *animæ nutritioni inservire*, consequenter confortationi quoque, & imprimis homini: sed non hæc *forma* panis, quæ, quod externam concernit, *in masticabili illa consistentia, seu cohesione consistit*. Sic *herbis & arboribus* ut *Attributum* additur, quod *semen afferant*, *Gen. I. v. 29*. Si hoc essentialem conceptum, aut partem formæ earum dixeris, in Logicas distinguendi normas impegeris. Sæpe ab attributo res describitur, quod non statim essentia ejus aut quidditas, minimè pars formæ censendum venit.

§. 3. Excipit II *Par. de Symb. Evch. l. i. c. 6. p. 54. in definitione panis requiri etiam, ut dicatur sapidus, quod de hostiis dici haud potest.* R. Non satis candidè hoc negat de hostiis nostris. Annon sapidus est noster hic panis? probat sensus, docet experientia, cui refragari sophisticum est. Deinde *sapidum esse*, non est *essentiale*, sed *accidentale* panis, quod ejus essentiam nec ponit nec tollit. Sic *cibos falsos ab insulis, amaros à dulcibus non totis speciebus, sed accidentariis discriminibus differre dicimus*.

§. 4. Ex proprio saniorum Reformatorum testimonio. *Bucanus* in L. C. de Cœna ait: *Hostia integri & parvi panes sunt.* *Martinus* tract. de Sacram. p. 234. scribit *hostiam*, quia ex *farina vi ignis est excocta*, panem dici posse. *Ludovicus Crocius*, l. 4. Synt. Th. c. 14. §. 6. inquit: *si substantia panis retineatur in Cœna, perinde est, sive sit panis azymus sive fermentatus, rotundus an oblongus, tenuis an crassus.* Si integras Ecclesias Reformatas polcas, habe *Basiliensem* hostiarum usum adhuc in Cœna retinentem, & *Reformatas Ecclesias per Poloniam* omnes hostiis in S. Cœna utentes.

§. 5. III Ex Adversariorum *hypothesi*. Panem barbarorum ex radicibus arborum, pisif, fabis aliisque leguminibus, item pifeibus tostis, lignisque paratum pro pane in Cœna admitti posse docent, *Beza ep. 2. ad Thilium. Alsted in Summ. Caf. Consc.*

Consc. c. 51. q. 4. Zieglerus in America pag. 149. Dana. l. 5. de Sacram. p. 372. Pareus l. cit. c. 9. p. 94. & alij complures. Imò Goclenius in Miscell. Magistr. alibus panem Americanorum verè & univocè panem esse ait. Si panes isti leguminei, radicales, & similes panis veri locum obtinere, imò ex Sententia Goclenij veri panes dici possunt, quanto magis hostiæ nostræ pro vero pane habendæ, cum materia formâq; veri panis consent? Sed hoc argumentum urgemus tantum *ναὶ ἀρθρωτον*. Negamus enim ista pro vero pane haberi posse. Probato itaq; antecedente, quod hostiæ sint verus panis, dabitur ultro consequens eadem in Cœnæ usu adhiberi de jure posse.

PUNCTUM III.

Continens Sententiam contrariam.

Pertinacissimè quidam Reformatorum hostias nostras verum panem esse pernegant; & in eas calumniosè debacchantur. *Montanus* l. c. p. 35. seq. spumas & nebulas panis appellat, variasquè earum similitudines querit. *Anatomia Marpurgens.* p. 97. 98. *Zepperus* de Sacrament. p. 485. & 487. *Jodocus Naum* p. 18. de Cœna in convitiando pane nostro satis industrios sese præstant. Præter spumas, nebulas, umbrasq; crustula chartacea, crustulum farinaceum, hostiæ nummularie, lentores viscosi, farinacea folia & similia audiunt. Similis convitiourum farrago apud plures iracundiores & iniquiores, quibus pro corde non pepo, sed zelus in dissentientes datus, reperitur, uti apud *Pareum* l. c. c. 6. p. 64. & 69. *Alsted.* l. c. qu. 20. & alios.

PUNCTUM IV.

In quo Adversariorum objectiones diluuntur.

§. I. Oppositis rationibus adversus Thesin nostram insurgunt Reformati, quarum potiores, ut lustremus, uberior materiæ explicandæ requirit conditio. I. Objiunt: *Verus panis*

panis confortat cor hominis & utilis est ad nutriendum hominem. Hostie non confortant cor hominis, sed potius infirmant ob viscositatem, nauseam & insalubritatem: nec nutriunt aut famem sedant obeandem nauseam, quam vescentibus adferunt. E. hostie non sunt verus panis. & (1) Majorem limitaudo: Verus panis confortat cor hominis, si non actu secundo, tamen actu primo, id est, confortare potest, etsi defacto ob impedimentum quandoque non confortet. Una species magis confortat, altera minus. Fermentatus melius confortat, azymus infirmius. Ita azymus Judæorum confortabat, sed levius fermentato. Famem etiam per 7. dies sedabat: quod nemo negare potest, etsi utiliùs id fermentatus egisset. (2) Nutritio alia est firmior & solidior, quæ in communi & vulgari pane est; alia tenuior & subtilior, quæ in nostro. Hæc in Sacra Cæna sufficit, ubi non ventri, sed menti cibus suppeditatur. Ubi non debet panis esse plenum corporis nutrimentum; sed sacrum $\sigma\chi\mu\alpha$ seu vehiculum & medium, per quod caro Christi exhibeatur, non famelicus venter expleatur: & propter hoc neq; multum accipimus, ut sciamus, quod hæc non satietati, sed sanctimonie seruiant juxta Canonem Nicen. (3.) Hostiæ nostræ confortare & nutrire queunt pro azymi ratione, si in majori & copiosiori quantitate sumantur, quod hodierna Judæorum in festo Paschatis in simili docet experientia: de facto parum nutriunt, quia minore quantitate assumuntur. Ita fermentati panis buccella facto parum nutriet, quia modicâ nimis quantitate in Evcharistia exhibetur. (4) De nausea, lentore & insalubritate (quæ ipsam nutritionem & confortationem in totum non negant) hostiarum nostrarum litigare in S. Cæna nihil attinet, siquidem non in tanta copia de iis suppeditantur, ut hæc producere queant: neque unquam auditus fuit, qui de nausea & insalubritate hostiarum in usu Cænæ Dominicæ conquestus fuerit. Soli Calvinistæ tam delicatos habent stomachos, ut hostias ferre non possint.

§. 2. II. Ob. Quod Hostie nec crassitiem veri panis, nec figuram, nec quantitatem habeant, quam in pane usitatè requirimus, ideo-

ideoq; nec verus panis sint. *n.* Hostiæ non habent *crasitiam*, *figuram* & *quantitatem panis communis* & *quotidiani*; bene tamen *alicujus*, peculiari nempe fini destinati. Crassum esse, magnum, hac illave figura præditum esse, accidentia Panis sunt, quæ alium panis modum & accidentale discrimen facere queunt: aliam panis speciem, formam essentialem, aut discrimen essentiali non inferunt. Panem subtilem esse, crassum, album, nigrum, sapidum, insipidum, salubrem, insalubrem, fermentatum, azymum, longum, rotundum seu orbicularem, quadratum, vulgarem, singularem, delicatum esse, omnia indifferentia sunt, & in libertate Ecclesiæ posita.

§. 3. III. Ob. *Hostia nec cibus necessarius, nec universalis & communissimus est, nec nutritioni animalis destinatur, quæ omnia ad panis esse requiruntur.* E. nec proprius & verus panis est. *n.* (1) Panis est *cibus necessarius, universalis, communissimus* sed in Genere & indifferenter sumtus; non hæc, vel illa species panis in particulari. Sic una species panis longè communior, universalior & magis necessaria esse potest, quàm altera. Ita panis *secalinus* est longè communior, magisq; necessarius *alicario* & *similagineo*: nec tamen ob id *alicarius* & *similagineus* proprius verusq; panis esse negantur. (2) *Necessitas, universalitas & communitas* panis cum amplitudine & differentiâ quadam sumenda sunt, ut cum ad Species panis descenditur, in unâ longe magis locum habeant, quàm alterâ. *Necessitas* panis etiam in communi & vulgari non *absolute* requisitionis est; sed *comparate* respectu *utilitatis* & *commoditatis humane*, id est, talis, quo in vita commoda planè non, aut ægerimè carere possumus. Fuerunt namq; & hodie sunt, qui signotum panis usum habent. *Romani* per annos 600. ferè ad bellum usq; persicum, nullos pistores habuerunt, & pulte, non pane victitarunt, ut refert *Plinius* l. 18. c. 8. & 11. *Scythæ* oceani accolæ piscivori sunt. *Insulani* multi solo piscatu vitam trahunt. *Cambalis* nec panis usus est, nec quod ejus supplementum sit, referente *Scalig.* ex. 292. sect. 4. *Argæi* & *Tirythij* pyra, *Athonienses* ficus, *Medis* amygdalas, alij alia loco panum usurpaverunt; Vide *Alex. ab Alex.* l. 3. gen. dier. c. 11. *Universalitas* quoq; panis

D

vulgaris

vulgaris comparata, & non absoluta est, ita ut apud omnes gentes simpliciter obtineatur. 12. (3) Azymus talis & talis in specie panis est, in quo *Necessitas & Universalitas* minor esse potest, ac fermentato. Ubi aliquid definitur, quod ad inferiora sua *inequaliter* se habet, *unimago* requisita ejus competunt, *alteri minus*, eoq; in uno magis urgenda, quam altero. Sic caro communissimum homini alimentum est, & pro commoditate necessarium: non tamen omnis carnis Species æquè necessaria & communis est, cum quædam multis prorsus non in usu, sed abominatione habetur. Ut *suilla* Judæis & Turcis, Hispani quoq; vehementer ab ea abhorrent teste *Scalig.* exef. 164. *Cuniculi Sylvestres* cibos in Baravis suppeditant, non in superiore Germania, neq; Hungaria nostra. *Anthropophagi* in Tapujarum gente humanis caribus nutriuntur, quas nos abominamur. (4) *Finis*, nutritioni animalis destinatum esse, etiam in pane in genere assignatur; Sed hostia panis in specie & Sacramentalis est, qui non pro fine & alimonia corporali, sed Spirituali usurpatur. Et *finis* iste panis *innatura sui spectari* est, quòd tale quid sit, quod ex naturali sua habitudine nutritioni animalis inservire debeat, eoq; aptum sit: *hostia* autem Sacramentalis non *ex natura panis*, sed *officio Sacramentali* in Cæna est spectanda. Et in quantum panis est, nutritioni eidem animalis, si sufficienti copiâ adhibeatur, apta, eoq; destinata esse potest. (5) Eo modo, quo *communis & usualis* noster panis *definitionem panis* participat, *hostia* non participat. Non tamen inde sequitur, quod nullo modo participat, & improprius panis sit. Nec *hordeaceus & similaceus*, eo modo, quo *triticeus*, definitionem participat, siquidem panis *triticeus* præ omnibus plurimum præbet alimentum, idq; firmum, per durans ac saluberrimum: *hordeaceus* est siccus, frigidusq; unde ventriculum gravat, lentos fuecos gignit, minusq; firmum præbet alimentum: *similaceus* quoq; in alendo secundas tenet partes, quia est crassus, leniq; fueci. Hinc tamen non desinunt esse proprius, verusq; panis. In *Anatolis* notum est, quomodo *uni inferiori* definitio longè per magis, alteri per minus tribuatur. Ut *Ens* Deo, & creatis, Substantiæ & accidenti: *Demon-*
stratio

stratio priori & posteriori, similibusq; Idem de Definitione panis ad inferiora tributâ habendum. *Hostia* panis communis & usitator non est, ideoq; nec eomodo definitionem panis participare tenetur. Interim ad veritatem panis sufficit, si suomodo definitionem illius participet. Sic *Accidens* *Ens* improprium ideo non erit, quod eo modo, quo *Substantia* *Entis* definitionem non participet.

§. 4. IV. Ob. *Quo in toto orbe nemo pro pane utitur, id veri panis locum subire nequit. Hostiis infermentatis nemo pro pane utitur.* E. *Hostia infermentata veri panis locum subire nequeunt.* R. Majorem limitando: quo nemo pro pane utitur, ullo scilicet modo, nec communi & quotidiano, nec rariori & peculiari, id veri panis locum non sustinet. Minor hoc pacto negatur. In v. enim T. *azyma* pro panibus erant, in *Novo à Judæis* adhuc hodie quoq; in festo Paschatis esitantur. Olim à *veteri Ecclesia Christiana* etiam in S. *Cœna* adhibitus fuit *azymus*: apud *Græcos* quoq; usq; ad tempora *Michælis Episcopi Constantinopolitani*, qui circa annum Christi 1054. abrogavit, ut ex *Centur. Magdeburg.* refert B. *Gerhardus* de *Cœna* §. 23. Nihil hic panis nostri *figura*, quod sit *orbicularis*; *subtilis*, aliis *quadratus*, aliis *teres*, obstat: in indifferentibus, non necessarijs id est, quod nec ponit essentiam panis, nec tollit. Et panis crassus, & subtilis panis est. Sit *materia formaq;* fini suo conformis, reliqua ad *Accidentia* rejiciuntur, quæ mirificè variari possunt salvis essentialibus. Ita *azymus* noster panis verus est, etsi minus usitatus, etsi quotidianæ nutritioni in usu communi non adhibeatur, etsi figurâ tenui à communibus panibus diversus sit: *azymus* enim semper rarior est fermentato.

§. 5. V. Ob. *Hostia non subiguntur, nec coquuntur admodum veri panis.* E. *hostia non sunt verus panis*; R. Si *hostiæ* ideo verus esse panis negantur, quod ad eum modum, quo panis vulgaris non coquantur, nec illi *subcinericij*, quorum *Gen. 18. v. 6. Exod. 12. v. 39. Num. 11. v. 8.* mentio fit, verus panis fuerint: horum enim alia, quàm hodie in *clibanis*, fuit *pistura*. *Furnus*

fanè, craticula, ferri lamina, intra quæ fit affatio & figura, sunt panis extrinseca, quæ ejus essentiam non variant.

§. 6. VI. Ob. *Hostia inservunt literis obsignandis, chartis compingendis, pilulis deglutiendis, marcipanibus fundandis.* E. non sunt verus panis. R. Si hæc ratio colligit, colliget & ista: *Panem vulgarem* ad alios usus, quàm ad usum comedendi adhibere solet vel *medicina*, vel *malitia hominum*, v. g. *Romani* olim pane madido liniebant faciem, ut levigarent eam teste *Svetonio in Orthonem §. 12. Manlius Capitolinus*, cum à Gallis Senonibus obsideretur, panes è Capitolio in hostes jaculatus est, ut hosti spem inediâ arcem occupandi adimeret teste *Livio l. 5. c. 48.* E. etiam panes illi non fuerunt verus panis. Sic *culter* ad pennas conficiendas ordinatus num idèò desinet esse culter, si aliis rebus, quàm pennis conficiendis, inservit?

§. 7. Ob. VII. *Hostie scandalizant Papistas & infirmos.* R. Per instantiam, & inversionem: *panis vulgaris* ad Sacramentum adhibitus scandalizat *Papistas*, qui rident, & *infirmos* nuper ad Calvinismum conversos, qui horrent confusionem Cœnæ Dominicæ & vulgaris, memores illius Paulini: *num domos non habetis ad edendum & bibendum?* 1. Cor. II. v. 12.

§. 8. Ob. VIII. *Hostie irreverentie sunt obnoxie, quia eas novimus aliquando esse veneratas, male tractatas, à veno etiam dissipatas (cum jam convivis Cœna Dominice essent destinatae.* R. Si propterea hostiæ abrogandæ sunt, tollatur etiam *panis communis*; nam ex illo micæ in terram decidere possunt irreverenter. Deinde etiam *calix* denegetur Laicis, quia multò plures irreverentias *Gerson* allegavit ex calice, quàm *Calviniani* ex hostiis orituras. Per accidens hæc fiunt, quæ etiam in quarta parte libi Calvinistici contingere possunt.

§. 9. Ob. IX. *Hostia ex Papatu originem habent, ibiq; ad Sacrificium missæ adhibite, unde & hostia dicta sunt.* R. Non omne quòd ex Papatu originem trahit, Evangelicis reprobandum est. Papa est autor *patrimorum* in Baptismo adhibitorum. E. celebrandus baptismus sine *patrimis*. Sic multa *Scripta Patrum, Antiquitates, ritus, suggestus & Tempa* à Papa, & Papi-
ftis

stis ad nos devenerunt quæ tamen æquè à Reformatis reti-
nentur. *Cerei* quoq; ortum habent à Papatu. quod tamen ipsi
Reformati in solennitatibus Academicis adhibent. (2) *Panis*
quoq; *major* à Papistis transubstantiari credi potest, & in
missâ adhiberi, ut & antea adhibitus fuit, quod non diffite-
tur *Parvus* l. c. cap. 3. p. 34. 35. (3) *Hostas* in *Papatu* appella-
runt, quod Cœnam in Sacrificium mutarint. Nos quòd *media*
sint, quibus *vera* pro peccatis nostris *hostia*, corpus videlicet Christi in
usu Cœnæ nobis *communicetur*. Ita liberè retinentur, non quod
Papisticæ, Missaticæ, aut eo fine adhibendæ; sed quod verus
sint panis & ad usum S. Cœnæ commodæ. Sunt & plures Ad-
versariorum rationes, sed quæ vix recitari dignæ sunt. *Differ-*
tationi itaq; nostræ hîc finem imponimus. Christo S.S. Te-
stamenti Autori omnipotenti, sapienti & veraci pro
auxilio divino sit gloria, laus & honor per
omnia secula seculorum. Amen





*N*trepidus persiste loco, pu-
gnamq; capeffe
Fortiter: ipsa agitur nam bo-
na causa Dei.

Improbitas irata fremat, veriq; catastam
Devoveat: brutum hoc, da mihi, ful-
men erit.

Successus Dux ipse dabit, modò pergito, quiq;
Principium est, studij sit quoq; metatui.

Abraham Calovius D.

TU quoq; KÖVESDI, lumen, cœleste sequutus,
Vera doces DOMINI de Cœna, ac arte refellis.
Quæ malè calva suum Soboles imitata parentem
Fingit, dum Testatoris pervertit Jēsu
Verba, suæ rationis atro perfvasa magistro.
Perge Sacræ porrò sic scrutari artis abyflos,
Optatos capies fructus aliquando laborum!

Eximio Dno Auctori gratulab. adje^{no}

Christophorus Löhnerus, Hung.
S. S. Th. Stud.

Non

Non jam dolosam praefricet impudens
Caterua frontem. Zvinglius improbo

Non ore quatit: Christus oris

Num cibus est & neq; criminosis

Ex plodat orbis, uocibus, azymos.

Nam gentis ingens Gloria Pannonia

Kovesdinus nunc, ueritate, haec

Dogmata, comprobat, irretortat.

At Tu, potentis prodere nobilem;

Amice, fortum dum ingenij paras;

Te digna praestas, perge! Summus

Namq; Deus Tibi pondus addet.

Johannes Rudolphus Kegelius

Eximio, Literatissimoq; Dno Aut. amicâ
mente, manuq; posuit

Johannes Bayer Eperjesino Hung.

SS. Th. & P. Philosoph. Stud.

Sedulitatis opus, proponere dogmata ritè
Christi, proposita & cum summâ laude tueri.
Hoc dum nunc praestas, Kovesdi chare, talento,
Quod tibi commisit supremus Rector olympi,
Lucraris, cunctisq; tuum virtutis amorem,
Impigrumq; probas studium. Supremus Jõva
Cœptis hisce tuis porro benedicat ab alto,
Laudi ut sis generi vestro, patriâq; Saluti!

Hac Dno Contubernali suo devinctissimo
mutue necessitudinis gratiâ ap-
posuit

Petrus Fronius Cibinio. Transyl.

SS. Th. Stud.

Quam

Quàm benè cognomen rebus respondet, **AMICIS**,
Nomine nam *gemmas*, duraq; *Saxa* refers.
Saxa, quibus falsum CALVINI dogma repellis,
CHRISTI corpus edi corporis ore negans.
Gemmas ingenij PATRIÆ pro munere tradis:
Quid præter *gemmas* tradere *Gemma* potest?
Accipe quas tradit *gemmas* tibi PATRIA grato
Pectore; tu *Gemma* gemmea trade loca.

Ita Per- Eximio Dn. Aut. Amicorum suorum
quasi *gemme* vover. L. Mqz

Johannes Rudolphus Kegelius
Pofonio-Hung.

Auxilio primos divini Numinis labores
Das, queis Calvinus dogma jam refellis.
Adspiret cæptis ultrò Deus, ille namq; letam
Prose certanti deferet coronam,

Φιλαδέφιας ἔνεκα ἀνιβδήλωσ
applaudebatur

Matthias Lochmannus Panno.

F I N I S.



Ung. VI. 51

ULB Halle
003 730 670

3




f

TA → d
neu 14 21 Stück vordruckt

Reho
V317







THEOLOGICA

20.
18

MAN.

TIONE,

S ORBICULARI-
S COMMUNITER
ICTIS.

H. III. 1975

nia *V*Vittebergensi,
S I D E

*P*rimo atq; *E*xcellentissimo Viro

M CALOVIO,

ongè celeberrimo, Ecclesiæ

ssimo, Consistorij Adfessore

alis Saxon. Superintendente

ilantissimo,

ceptore atq; *F*autore suo

*l*evenerando,

rum disquisitioni

onet

VESDI, Hung.

& Resp.

erio Majori.

rij horis matutinis.

B E R G E

IAEL WENDE

o l o c l v l .

die 14. Feb
Ano Affini